



## Universitätsbibliothek Paderborn

**... Pars Difficultatum Propositarum Eximio D. Martino  
Henrico De Swaen in Universitate Lovaniensi S. T. Doctori**

Complectens 1. Justam defensionem adversus Libellum supplicem eximii  
Domini De Swaen, & eruditissimi Domini Melis. 2. Instaurationem priorum  
difficultatum cum Libello supplice Alumnorum Collegii Alticollensis ad  
Exim: suum Præsidem. 3. Æquam & facilem pacis conditionem

**Fontaine, Jacques**

**Coloniæ Agrippinæ, [1692]**

§. 1. Aperitur Defensionis necessitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39122**

(3)

CAPUT PRIMUM  
JUSTA DEFENSIO  
DIDACI DE OROPEGA

ADVERSUS LIBELLUM SUPPLICEM

Eximii D. MARTINI HENRICI DE  
SWAEN S. T. Doctoris Loya:

E T

Eruditissimi D. PETRI MELIS in eadem  
Universitate S. T. Licentiat.

§. I.

*Aperitur Defensionis necessitas.*

**S**i ea tantum foret Adversariorum temeritas ut scripta mea futilebus responsis arroderent, ut arrosit nuper Eximus Dominus Martinus Henricus de Swaen in Epistola ad Illustrissimum Archi-Præfulem Sebasteenum, vel si in privatis tantum congressibus, vel intra Collegiorum suorum septa apud imperitam Tironum multitudi-

A 2 nem

nem criminarentur , tolerabile fortè videri posset , & contemnendum potius , quām operosā confutatione repellendum. At cūm apud supremum celeberrimā Lovaniensis Academiæ Moderatorē accusationem instituunt , me tamquam calumniatorem publicum , Libellorum infamiam , sive ut in Libello supplice loquuntur , famosorum Autorem traducunt , gravior viſa est hæc criminatio , quām ut scriptori Catholico tacitè prætereunda sit. Neque adçò honoris mei , & famæ Dominus sum , ut eam in tanti momenti accusatione mihi liceat prostituere. Injurius forem iis quib[us] seu sanguinis , seu arctioris fortè necessitudinis vinculo sum obstrictus , iniquus forem sanæ doctrinæ , quam adversus horum temporum novitates , & Jansenianam hæresim defendo , iniquissimus forem erga Illustrissimum Mechlinensem Archi-Episcopum cuius adversus flagitosissimos obrectatores patrocinium sponte suscep[er]i , nec infeliciter haec tenus prosecutus sum.